



**V**ilhelmus ille in sacris literis optimè instructus fuit. in literis autē humanioribus & artibus liberalibus nulli suo tempore apud Germanos inferior. Erat enim philosophus, Astronomus, & Poeta insignis, uita etiam & cōuersatione sanctus: quippe qui multis legat̄ coruscasse miraculis. Hinc factum ut abbas Hirsgauensis cœnobij in Spirensi diocœsi, ordinis S. Benedicti electus fuerit. Cum autem optimus uir uideret regularem disciplinam iam dudum collapsam, atq; multum à maiorum institutis declinasse, multa cœnobia Germaniæ, principum iussu, uisitauit, & eorum mores deprauatos correxit. scripsit etiam pro conseruatione monasti-

cæ disciplinæ ex statutis ueterum libros duos, quos Cōstitutiones monachorum inscripsit. Huic S. Anshelmus Canthuariensis præsul admodum familiaris erat, itaq; sibi inuicem epistolas scripserunt, quibus se mutuò hortantur, ut superstitione sublata ueram pietatem sequantur. Tandem Vuilhelmus functione sua optimè administrata moritur, sub Heinrico 4. Imperatore, Anno millesimo nonagesimo primo. atq; magna opiniōe sanctitatis in medio ecclesiæ apostolorum sepultus est. Trit.